cum ipso in causa participaret, iam nichil pene debuit, quia culpe nil
habuit. Itaque quantum in ipsa fuit non debuit sustinere penam, quia iam non habuit culpam.
Potuit quidem iuste salvator in carne sua quam sine culpa assumpsit penam quoque
mortalitatis passibilitatis infirmitatem non assumpsisse. Sed tamen voluit suscipere id
quod nos sumus mortales, qui peccator non erat. Sed super id est quod primus homo ante
peccatum fuit, quia probandus non erat a prima conceptione gloriam immortalitatis
induisse. Porro ipse homo qui probandus erat talis esse debuit, qui et peccare
et non peccare potuisset, ut voluntatis sine necessitate esset utrumque. Neque
enim vel obedientia virtutis vel inobedientia culpa esse potuisset, nisi et obedien-
tia et prevaricatio voluntaria fuisset. Itaque quia ad probationem utriusque volun-
tas ei exspectabatur, ad utrumque ei possibilitas prestabatur. Qui ergo
peccandi et non peccandi possibilitatem habuit, oportebat ut et mo-
riendi et non moriendi possibilitatem haberet. Sin autem ex necessitate im-
mortalis fuisset, et prevaricator et peccator mori non potuisset, atque
ita inobedientia penam debitam non haberet. Nec se recognosceret ali-
quando peccatorem, si mortuus non, semper viveret forsan. Si autem ex neces-
sitate mortalis fuisset, et in obedientia perstitisset, mori debuisset,
et iuste sine culpa puniretur, si non peccans moreretur. Quia ergo quia pro-
bandus erat et virtus in obedientia perstitisse exspectabatur, talis quodammodo
ille et aliquid mortalis erat, quia mori poterat, et aliquid immor-
talis erat, quia poterat non mori. Quatenus ex eo quod mori poterat more-
retur, si peccaret, et ex eo simul quia non mori poterat non moreretur,
si in obedientia perseveraret. Christus autem homo qui perfectus a principio et
probatus inventus est ad perfectionem vel ad probationem exspectat
hic et idcirco hic liberum arbitrium habuit, nec tamen ita ut peccare pos-
set quoque, et immortalitatem quantum in se habere debuit, et ita ut mori
omnino non posset. Unde constat quod Christo homini a principio non solum nulla
immortalitas debebatur quam primus homo habuit ante prevaricationem